PREFAT BEATI GERONIMI PRESBITER

BEATO PAPAE DAMASO HIERONIMUS·
nouum opus me facere cogis ex ueteri · ut post exem
plaria scripturarum · toto orbe dispersa · quasi
quidam arbiter sedeam · et quia inter se uariant ·
que sint illa que cum greca consentiant ueritate
descernam · Pius labor · sed periculosa presumptio ·
iudicare de ceteris · ipsum ab omnibus iudicandum · Senis mu
tare linguam · & canescentem mundum · ad initia retrahere par
paruulorum · Quis enim doctus pariter uel indoctus · Cum
in manus uolumen assumpserit · & a saliua quam semel inbibit ·
uiderit discrepare quod lectitat · non statim erumpat in uocem ·
me falsarium · me clamitans esse sacrilegum · Qui audeam aliquid
in ueteribus libris addere · mutare corrigere · Aduersus quam
inuidiam · dupplex causa me consolatur · Quod et tu qui sum
mus sacerdos es · fieri iubes · & uerum non esse quod uariat · &
maledicorum testimonio comprobatur · Si enim latinis exem
plaribus fides est adhibenda · respondeant quibus tot sunt
exemplaria pene quot codices · Si autem ueritas est querenda
de pluribus · Cur non ad grecam originem reuertentes · ea que
uel uitiosis interpretibus male edita · uel a presumptoribus
imperitis emendata peruersius · uel a librariis dormitantibus · aut
addita sunt aut mutata corrigimus · Neq · uero ego de ueteri
disputo testamento · quod a septuaginta senioribus in grecam
linguam uersum · Tertio gradu ad nos usq · peruenit · Non
quero quid aquila · quid simmachus sapiant · quare




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

Trierer DOM

HESSEN
Staatliche Schlösser
und Gärten Hessen

Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation

Kloster Lorsch
Welterbestätte
seit 1991

© Hohe Domkirche zu Trier, Domschatz
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/dst_ms137-133-65/0347